

Joan. 14. *videbitis me, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Atque hic aspectus faciei divinæ, est Angelorum gaudium, vita & panis cibusque invisibilis unde sustentantur: ut est Tob. 12. *Ego utor cibo (inquit Raphaël) invisibili & potu qui ab hominibus videri non potest.* Sicut autem Dei visio summum gaudium præstat: ita illum videre nunquam posse extremus, atrocissimus æternusque cruciatus est.

## CAPIT. IX.

QUID SIT POENITENTIA, QUOMODO item illa agenda & quemadmodum divina bonitas ad illam nos invitet.

Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, & in fletu & in planctu. Et scindite corda vestra, & nō vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ & prestabilis super malitia.*

Clemen-